



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 105. Pontificis copiæ adversus Ferrariæ Ducem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A C 1510.

montius cum copiis suis Mediolani Ducatum petiit; Ducis enim hujus præsentia ad alia negotia satis necessaria erat, Anhaltino tamen Comiti trecentos Lancearios, totidemque pedites, quos desideraverat, reliquit.

§. CV.

Pontificis copiarum adversus Ferrariæ Ducem.

Interea Julius II. cum a Gallis bello petiti prospiceret, Mantuani Ducis, ut illum sibi devinciret, libertatem a Venetis efflagitabat, nec incassum; Dux enim die decima quarta Julii recuperata libertate e custodia dimittebatur: cum vero bellum sibi a Gallis inferri timeret Pontifex, ipsius jussu Urbinatis Dux ejus Nepos in Ferrariæ Ducis ditiones arma intulit, quorum tamen successus sub primis belli auspiciis haud adeo secundus erat; quippe Urbinatis Dux primo exiguis quibusdam oppidis, quæ in itinere offenderat, occupatis, demum Lugonum cinxit; ast cum Castellio Gallorum Præfectus, qui in Longobardia cuidam agmini imperabat, obsessis cum trecentis Lanceariis prompto auxilio adesset, urbemque die vigesima nona Julii ingrederetur, hujus adventus tantum terrorem in hostes effudit, ut Urbinatis Dux Gallorum co-

Hist. Eccles. Tom. XXXII. K piis

Sæcul. XVI. piis resistendo impar, præcipiti consilio
 A.C. 1510. obsidionem solveret, ac celeri fuga For-
 rum Cornelii velut ad tutum asylum sese
 reciperet.

§. CVI.

Ferrariæ Dux amissa recuperat.

Marian. lib.
 29. n. 98.

Nihilominus Ferrariæ Dux, quæ ami-
 serat, paulo post recuperabat; cum
 enim Urbinatis Dux sese recipiens secum
 præsidiarios eduxisset, urbes horum me-
 tu solutæ in pristini sui Principis fidem
 redierunt; verum, cum Pontificis exer-
 citus, Castellione ad sua redeunte, hosti-
 li validior esset, eorum, quæ ceperat, par-
 tem recuperavit, quin etiam Papiensis
 Cardinalis quorundam civium opera,
 quibuscum secreta fovebat consilia, Mu-
 tinam Pontificis nomine subegit; Ran-
 gonenses etiam ultro portas aperiebant
 Pontificiis, ac ipse Ferrariæ Dux vix non
 Regium amisisset, nisi opportuno suorum
 præsidio, ac ducentis Lanceariis, quos ipsi
 Calvimontius submiserat, illud firmasset.

§. CVII.

*Helvetiorum irruptio in Mediolani
 Ducatum.*

Marian. l. 29
 n. 99.

Nec dubium, quin ipse Calvimontius
 in Ferrariæ Ducis auxilium accur-
 risset, nisi ejus curam occupasset irru-
 ptio